



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

SS. Benjamini Et Maximi Inventio Brixiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX HISPANICO
AUCTORE
VINC.
DOMENEC.

Debilitas ope
S. Raimundi
curata.

2 Raphaela Basia, Joannis Basii civis Barcinonensis filia, cum sex esset annorum, gravi in latere icta est plaga, unde acerrimi deinceps dolores tantaque imbecillitas orta virium, ut nec incedere nec omnino niti pedibus posset, sed perpetuo fere lecto affixa decumberet; nisi quod fulcris nixa subinde ad fenestras propebat, aut paullulum per conclave gradiabatur. Anno tandem m̄cxi, xiv Maii allatis felicibus de S. Raimundi canonizatione nuntiis, a matre ad cœnobium S. Catharinæ deportata est, intraque S. Raimundi sacellum collocata. Ibi recitata ter Oratione Dominica atque Angelica salutatione, visa sibi est eujuspian adminiculo sublevari, cum nemo ei ita prope adstaret, ut opitulari posset. Surgit igitur neque fulcris, neque cujusdam ope adjuncta, atque incedere cœpit, matre ceterisque qui eam norant, miraculo attonitis. Ac deinceps nec fulcris usa est, et firmo incessit vestigio, rhedam sola ascendit eaque exscendit, atque omnes paternarum œdium scalas sursum deorsum vegeta percurrit.

Gressus et vi-
res restituta.

3 Helena Molnera, cum annum ætatis quintum ageret, e scalis decidit, osque sibi sinistre tibie confregit, quæ septem incidi locis debuit. Multa experti frustra medici, statuerunt tandem secundum serra os esse. Nec melius puellæ fuit: quia tres ipsos annos lecto assidue affixa jacuit. Dein paullum fulcris incedere, nec sine ingenti molestia. Anno m̄cxi, Idibus Maii cum festis plausibus S. Raimundi canonizatione celebraretur, deducta a quadam cognata sua ad S. Catharinæ cœnobium, ante ipsum Sancti tumulum rosarium evolvit, ac deinde septies Dominicam orationem salutationemque Angelicam recitat, et S. Raimundum pie invocat. Mox incolumis consurgit, fulcris, quibus advenerat, isthic dimissis, quippe nil earum nunc egens, ita constante deinceps gressu ac si nihil unquam esset passa adversi, tibia solida et doloris omnis experte; ut postridie matrem, ceteroque non invalidam, incedendo superaret, cum ipsis decem annis sine fulcris nusquam progressa esset.

Gibbus et va-
ria infirmitas
curata.

4 Catharina Cavallera, uxor Jacobi Cavalleri civis Barcinonensis, nata annos tres et quadraginta, testata est, se subito correptam dolore ac horrore, e scalis esse deorsum prolapsam, nec tunc quidem dolorem illico sensisse, sed paucis post diebus alienatam esse a sensibus, ut vinciri debuisset, nequid sibi aliisque mali conscisceret. Injecta manibus ac pedibus vincula, ipsique digiti funibus constricti sunt. Nec sic violentus corporis coerceri motus potuit, quin ipsa sibi humeros ita læderet, ut curva ac gibbosa incedere cogere, nec se erigere omnino posset, adeo ut cum incederet sui ipsa gibbi umbram carneret. Tres annos id malum tenuit, quibus nec recto stare situ, nec progredi potuit, rebaturque omni se deinceps vita eo incommodo laboraturam. Quo die solemnibus nuntiata S. Raimundi canonizatione, supplicatio est instituta, ejusque sanctissimum corpus circumlatum, sensus ei singularis erga Divum pietatis infusus divinitus est. Sequenti Dominica cœnobium adit S. Catharinæ, S. Raimundi ingressa sacellum, quo maximo potuit

animi motu ejus implorat auxilium. Diduci sibi non sine strepitu ossa humerorum sensit, viresque sibi suppetere ut jam assurgere valeret. Surgit igitur, jamque quod occuparat humeros, resedissemalium comperit. Agit Numini grates, vovetque se novem continuos dies Divi sepulchrum nudis pedibus visitaturam. Quo vero tempore novemdiale illam supplicationem exorsa est, quoque absolvit, cum fragore mota sibi humerorum ossa asseruit. Recta deinceps cervicæ, humeris, totoque corpore, ac vegeta incessit. Hoc miraculum ipsa Catharina ejusque conjux atque alie mulieres jurejurando testate sunt.

5 Elisabetha Barba, Antiqui Barbæ filia, ex Castellari vico Barcinonensis diocesis oriunda, in permolestam incidit ægritudinem, nulla ut pars corporis propriis careret doloribus, adeoque invalida reddita est, ut brachium dextrum nulla ratione, sinistrum non sine ingenti molestia movere posset; sed alterius opera vestiri eam oporteret, regique in omnibus; sæpe etiam cibum illi in os ingeri, quem nec sic quandoque deglutire valebat. Collum eiet caput in lævam partem foede contortum. Molares alique dentes ita juncti connexique, ut non nisi intra dentes mussitaret. Invalescebant isthæc in dies mala cum ingenti capitis dolore ac vertigine. Jam humanis destitutam remediis (nam et ipsi eam medici, veluti incurabilem, deseruerant), sui lectica deportaverunt Barcinonem, alios isthic medicos consulturi. Iter aggressi inaudiant, multa meritis S. Raimundi recens in album relati Cælitum miracula patrari. Maritum obtestatur infirma ad sepulchrum se Divi deportet. Cum in sacello eam aut procula S. Raimundi tumulo in manuali lectica deposuissent sui, ipsi flexis genibus preces funderent, vix horæ lapsa quadrante disruppi cum strepitu lectica, Elisabetha nutu gestuque se sanam ostentare, versare sese, atque erigere, et maritum rogare disertis jam et claris verbis, ut sibi surgere cupienti præberet manum. Vix id viro licuit, ita ipsa subito sese crexerat in pedes, movebat brachium utrumque, ac jungebat manus expedite, inspectante haud parva hominum turba. Ceterorum quoque dolor membrorum omnino detersus est: loquendi restituta facultas. Sine eujusquam adminiculo ad majorem ejus basilicæ aram S. Catharinæ sacram accessit, pedes ad hospitium procul inde dissitum, etsi copiosus imber decideret, revertit: cibum potumque suis manibus, quod antea non poterat, stumpsit. Testati isthæc cuncta sunt, cum ipsa Elisabetha, maritus ejus, ac Doctor Barba illius cognatus.

Multiplex in-
firmitas cura-
ta.

6 xxiii Decembris anno m̄c, Isabellæ Campos, conjugii Jacobi Campos, ita lævum brachium obriguit, ut id attollere, demittere aut omnino movere non posset ac ne digitos quidem diducere. Cum allatus esset de S. Raimundi canonizatione nuntius, sepulchrum ejus ipsis Idibus Maii, m̄cxi, cum conjugio filioque visit Isabella. Junctis precibus Sanctum opem flagitarunt. Restitutus illico vigor manui brachioque, quibus mederi tanto tempore ars humana non potuerat.

Vigor brachii
sublatus.

NOT. 117.

SS. BENJAMINI ET MAXIMI

INVENTIO BRIXLE.

MDXXXIX.
VII JANUARI.

Petrus Galesinius hoc die sanctorum Martyrum Benjaminiet Maximi inventas reliquias tradit his verbis: Brixie Inventio sanctorum martyrum Benjaminiet Maximi, qui una cum Faustino et Jovita pro Christo Domino martyrium subierunt. In notis scribit, hanc Inventiorem contigisse anno Christi

MDXXXIX. Eadem habet Martyrologium Germanicum, et Ferrarius in generali catalogo Sanctorum; qui tamen negat quidquam in tabulis Ecclesie Brixienensis de iis extare. De SS. Faustino et Jovita ac socii agemus xv Februarii.

DE